



Off. 59. 3.

LEX MOSAICA DEVT. XXII, 6.<sup>7</sup>

EX HISTORIA NATVRALI ET MORIBVS AEGY-  
PTIORVM ILLVSTRATA.

---

P R A E S I D E

IOANNE DAVIDE MICHAELIS

PHILOSOPHIAE PROFESSORE ORDINARIO, SOCIE-  
TATIS REGIAE SCIENTIARVM GOETTINGENSIS COLLEGA,  
ET PHILOSOPHICI ORDINIS H. T. DECANO

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

DIE XVI SEPT. 1757.

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

PETRVS HAGSTRÖM

*ab.*

MALMOGIA - SVECVS.



GOETTINGAE

LITTERIS POCKWITZII ET BARMEIERI.

LEX MOSAICA DEUTSCHE

THE HISTORY OF THE MUSLIM AFRICAN

POLITICAL INSTITUTIONS

BY J. R. H. SPEDDING

TRANSLATED FROM THE FRENCH

BY J. R. H. SPEDDING

WITH AN APPENDIX OF THE

THEOLOGICAL AND POLITICAL

INSTITUTIONS OF THE MUSLIM AFRICAN

BY J. R. H. SPEDDING

WITH AN APPENDIX OF THE

THEOLOGICAL AND POLITICAL

INSTITUTIONS OF THE MUSLIM AFRICAN

BY J. R. H. SPEDDING

WITH AN APPENDIX OF THE

THEOLOGICAL AND POLITICAL

INSTITUTIONS OF THE MUSLIM AFRICAN

BY J. R. H. SPEDDING

WITH AN APPENDIX OF THE

THEOLOGICAL AND POLITICAL

INSTITUTIONS OF THE MUSLIM AFRICAN

BY J. R. H. SPEDDING



§. I.

*Lex Deut. XXII, 6. 7. lucis adhuc aliquid desiderat.  
Caussae, cur pleraque explicationes  
repudiandae.*



*P*aradoxa est, multorumque interpretum ingenia exercuit lex Mosis, avium nidis et tanquam familiis prospiciens, hoc carmine: *cum incidet in via in nidum avis, ulla in arbore aut in terra, in pullos aut ova, matremque pullis aut ovis incubantem, ne cape matrem cum gnatis* (1). *Libere dimittito matrem capituloque*  
*tibi*

(1) Gnatorum nomine pullos et ova complectimur. Fuit quidem, qui Clericum erroris accufaret, quod in paraphrasi scriptis; matre dimissa licere pullos et ova auferri: cum solorum pullorum ablationem lex permittat. Clerici equidem peritiam linguae Hebraicae non magni facimus; hic tamen defendendum esse arbitramur, nec pudet, ejusdem sententias societate cum ipso conjungi. Censori forte fraudi fuit, quod magis Tremellii versio, quam verba Hebraica animo ejus obversabantur. Tremellius enim, quem et ipse sequitur, duo nomina פְּנַדְרִים (pulli) et בְּנָי (gnati) quorum hoc illo sine dubio latius patet, eodem modo latine reddidit, *pullos*: quae si interpretando distinguas, statim legenti apparet, בְּנָי gnatorum nomen ova et pullos complecti; quod nisi esset, nec licuisset

A

*tibi gnatos, ut bene tibi sit, diuque viras.* Deuteron. XXII, 6. 7.  
Qua de lege ante aliquot annos egit Bremensis theologus, S. R. Nonnius (2), mystice interdictum interpretans, de conjugio incesto cum matre ac filia captiva: et vero summe Venerabilis Heumannus aliorum collegit sententias, suamque post illos dixit (3).

Fatetur, veram sententiam jam dictam videri, atque etiam in illa variarum interpretationum materie, quam non augebimus, a S. V. Heumanno sub Theodoriti nomine adserri: illis tamen impeditam dubitis, ut mirum non sit, cordatis etiam viris displicuisse. Censet enim Theodoritus, id spectare Mosen, ne quod animantium genus exstirpetur: nec tamen docet, quid magni inde incommodi, ac sapienti legislatori cayendi, si genus aliquod carnivorae et noxiae bestiae unicae regioni, (toti enim orbi non periiisset extirpatum in Palaestina, nec omnibus mortalibus has leges, sed Israelitis Moses tulit) interiret, ut lupi Britanniae, hac jaetura non minus beatae.

Nec tamen per singulas ibimus, quidque in illis displiceat expōnemus: ne indicabimus quidem, qua nos molestia alii quodammodo levarunt, diversas diverorum opiniones. Nimis utrumque longum, ac, nisi nostrae nos fallit sententiae amor, supervacaneum. Quam enim legis rationem existimamus, nempe, ne qua volucris, ne carnivora quidem aut noxia visa, prorsus intereat, nisi ita gravis et ad publicam utilitatem spectans, ita legi, ita reliquis institutis, temporis et disciplinae Mosis apta videatur, ut vel sua sponte unica vera habeatur, ac praeferenda explicationibus aliis nullo modo impugnatis ac debilitatis, causia cademus.

Haec

---

licuisset matre dimissa ova capere; ne mentio quidem eorum in lege facienda fuisset, nec plus in protasi ponendum, quam in apodofi. Dura insuper lex, quae ova omnino capi vetaret, quorum et frequens usus est, et quae perdenda nonnunquam ac conterenda sunt, ut genus volucrium nimis exuberans intra mediocritatem contineatur.

(2) In dissertatione de Tippore et Deror.

(3) Dissert. de legis divinae paradoxae, Deut. XXII, 6. 7. exhibitae, sensu et scopo. Goettingae 1748.

Haec tamen statim in initio sumenda sunt: primo, si lex proprie accepta rem publice utilissimam et sapientissimam praecipiat, non sensum ei allegoricum aut mysticum, omisso proprio, obtrudendum esse, cum alia sit legislatoris persona, quam Pythagoraei philosophi, de morum doctrina cum arte aliqua et acumine praecipientis: deinde, ex illis verbis, in quaе lex definit, *ut bene tibi sit, diuque vivas*, non recte effici, ut ad solos illa, quod viro doctissimo nuper placuit, pueros pertineat. Namque et multae leges adultis a Mose feruntur, poena non expressa (4): sive quod alibi statuta erat, sive quod ex consuetudine pendebat, aut arbitrio permittebatur et aequitati magistratus: et diuturnae felicisque vitae praemium adultis non minus jucundum, quam pueris, annequitur legibus, quas adultis latas nemo negabit, ut in hoc libro cap. IV, 40. VI, 2. 3: et haec ipsa videatur esse poenae comminatio, quod Moses, Dei se auctoritate leges condere professus, qui solus Israëlitarum rex sit, longaevam obedientibus et felicem vitam promittit: hoc enim dum facit, migrantibus Deum ostendit ultorem, occulta fatorum vi perfectorum, ut adversa fortuna conflixtati vitam ante diem finiant. Videbatur autem hoc potius religionis, quam magistratus meru lex armanda, quod crimen, in agrorum, silvarum, montium, desertorum solitudine commissum, natura sua lateret: nec posset sine infinita delatorum vi, ejus cognitio a magistratibus suscipi. Tandem et hoc concedant lectors, petimus, ut de filo praecedentium et sequentium legum, cum nostra non connexarum, nihil omnino dicamus, totamque hanc disputationem, in quam Abenesra aliique descend-

de-

(4) Qui ad solos pueros trahit Mosaicas leges, post quas poena non exprimitur, posset eodem argumento probare, totum pene decalogum, primum et secundum praeceptum si excipiatis, ad adultos non pertinere: reliquis enim nulla poenae denuntiatio annescitur. Vide præterea Exod. XXII, 27. XXIII, 1-9, sive adeo plurimas Mosis leges, quas qui assidua lectione animo praefentes habet, illo arguento prorsus non movebitur.

derunt, ut inutilem omittamus. Sunt enim Mosis leges non rerum ordine digestae, ut pandectae, ut institutiones Justiniani, sed ab historico, temporis serie, quo ferebantur singula edicta, commemoratae: unde nihil inter sequentia et praecedentia edicta nexus sperari potest, nec his, quae non sunt, investigandis, perdendum tempus.

### §. II.

*Sententia legis exponitur. Non ad hortorum, agrorum aedium possessores pertinet. Prospicit impuris etiam et noxiis volucribus.*

**I**d quidem legem, nullis dum interpretum curis impeditam, legenti parebit (5), avibus indigenis consulti, ac caveri, ne quod earum genus aut extirpari penitus, aut minui ultra debitum in Palaestina (6) posset: nec tamen illicitum fundorum possessoribus fuisse,

(5) Vir quidem, nomen inter doctissimos adeptus, postquam narrasset, Theodoritum, Gerhardum, Ofiandrum, Calmetum, suspicari, id spectare legem, ne aliquod genus animantium e mundo tolleretur, (rectius, ne quod genus *avium* ex Palaestina extirparetur,) hoc judicium subiungit; verum vel ob id rejicienda est hacc conjectura, quod verba legis *cam minime fulciant*. Quod quidem ut recte intellexerimus, veremur. Quo enim modo fulciri hanc, quam vocat, conjecturam, a lege voluit vir doctissimus? Nonne sufficit, quod lege observata certidimum est, avium genus nullum penitus extirpari posse, neque alia utilitas legis appetet? Volebatne ergo, rationem a legislatore addi? Id vero cum voluisse haud crediderimus: nec enim valde frequens est alii legum latoribus, non disputantibus cum civibus, sed jubentibus, et Mosi maxime insolitus. Paucae profecto leges erunt, quarum reddi ratio possit, omni illa ratione repudiata, quam carmen legis non expressit. Non ignorabat Vir doctissimus, quid etiam Jcti aliqui disputatione in hanc sententiam soleant: nec decere legislatore, tanquam cum suis ratiocinari, et esse nonnunquam noxiun, si caussam legum exprimat.

(6) In Palaestina inquam. Israelitis enim solis promulgatum edictum eo pertinere non poterat, ut in toto terrarum orbe eadem manerent avium genera. Nec hanc a legislatore curam suscipi opus est, cum abunde jam providisse ipsa natura videatur: tum quia deserta, montium in-

accesse,

fuisse, nidulantes in horto, in vinea, in agro, in aedibus aves, noxias sibi aut molestas, matrem cum pullis occidere, quae dura fuisset servitus: sed noluisse legislatorem, alieno id aut nullius in fundo, ut in itinere, animi fieri, lucrique causa, aut communia vicia quarundam odio, belloque tanquam illis indicet. Non esset, quod miraremur, nihil in quo haereri posset, si de solis avibus puris ageret Moses, aut de illis, quae cantu et formae insigni pulcritudine oblectant: ut nostrae leges non absimilem piscium, ferrumque, quarum carne vescimur, curam suscipere solent. At nihil avium lex non complectitur: non noxias, non invisas, non segetem depopulantes excludit, ne carnivoras quidem gregibusque et feris inimicas, aquilas, vultures, accipitres, aliasque ejusdem rapacis ingenii. Id vero interpretibus, quos rerum naturae peritos vix sperare aut optare in hoc ingeniorum nostrorum modo, ac vitae brevitate, fas erit, suspensos habere potuit, non intelligentes, cur noxiis etiam volucribus Harpyiisque prospiciat. Et tamen neutquam incredibile est, Mosen, nec Deo sapientiorem a quo mittebatur, nec Dei filia, natura, ejusmodi aves in tutelam suscepisse; cum feris etiam inter quadrupedes consulat, illisque, una cum pauperibus et peregrinis, messem anni sabbatici destinet (7), ac si animus esset, septimo quovis anno novam ferarum

co-

---

acessa, et insulae supererunt, in quibus aves tutae esse possint, quae loca petere ova deposituras illas aves, mira prudentia natura docuit, quibus maxime insidiari homines solent: tum quod nunquam speranda est totius, quod ubique est, humani generis, confusio ac proprie conjuratio, in bellum, vel immanissimae beluae indicendum, aut si hoc continget, eadem ubivis ira et diligentia gerendum. Ingens animalium, studiorum, opinionum, superstitionum etiam humani generis, diversitas, ab infernacione facile tutas praestabit aves, suos habitus amicos, admiratores, adoratores, pluresque a quibus negliguntur: nec continget in toto hominum genere, quod vix unquam in civitate maiore, ut de re publica omnes idem sentiant,

(7) Exod. XXIII, IX.

A 3



coloniam in Palaestinam largiore vietu allicere. Hunc enim, quod venatoribus notum, investigare ac sequi solent, terrasque ubi abundat petere: ut vel deserere silvas dicantur, in quibus nimis illis parcitur, inque loca migrare, ubi frequentior venatio, pro que communi proverbio ament ibi esse, ubi venatio parata: nempe quod exuberant alimenta, ubi numerus eorum venatione immittitur; rarescant contra, nimis multiplicatis feris.

### S. III.

*Obscenarum avium, earumque quae noxiae putantur, magna solent utilitates esse, ob quas exstirpari penitus non debent: dignae, quarum curam lex suscipiat.*

Valde autem Stoici, morumque praeceptores abrupti et severi videtur, si uno naturae nomine rem consecuti affirmaremus, naturae obtemperantem legislatorem hactenus saltet eam ducem sequi debere, ut nihil eorum penitus exstirpetur, quae cuivis regioni ipsa (8) sine ope humana largita est, in eaque procreari jussit. Nec tamen ita valde a vero aberraverimus, ac forte aequis judicibus quod diximus probabimus, si paulo aliter, physiceque magis quam metaphysice defensionem instituemus. Nempe eorum ipsorum animalium, quae maxime noxia videntur, maiores esse utilitates saepe compertum est, vulgo plerumque incognitas, donec nimia eorum clades atque defectus non sine gravi incommodo doceat, cui illa usui sapientis atque indulgens communis mater

pro-

---

(8) Adjecimus haec, ne eo trahi sententia nostra possit, nullas omnino belias, in insulis, in quibus id fieri facilius potest, penitus exstirpandas esse. Indigenis, aut quas ipsa fine arte aut errore humano detulit, magis fortasse proficiendum. Nihil incommodi audiuvimus legitimis Britanniam inde sentire, quod lupis caret: sed vacua illis insula esse potera, quamvis bello internecino nunquam impediti ab hominibus essent. Non Batavos accusamus, quod verem molibus suis infestum, quibus mare coercetur, non indigenam illi terrae, sed advenam, internecino bello delendum censuerunt.

procreaverat, tanta quidem copia, et foecunditate, aut in absconditis ovis catulisque solertia, ut interire, bellisque hominum, quae nocendo provocatum iri natura praeviderat, extirpari non facile possent. Quod spectans prudens legislator, suspicari pene debet, etiam illa obscura et invisa animalia, quorum utilitates ignorat, tamen illi terrarum tractui, cui a natura data sunt, utilia esse, non sine magno damno interitura.

Quam quidem sententiam experientia comprobat. Ut domestico pene utar exemplo, passeribus ante hos duodecim annos valde per Germaniam auditis, gravissimisque jam agrorum depopulatoribus, bellum atrocius solito ac pene exitiale indicebatur, tanto rusticis numero passerum quotannis occidendorum imperato, ut bello successus non deesset. Sed ita brevi multiplicari vermes magis noxios, quibus passeris vescuntur, nuntiatum, ut fractae genti induciae dandae essent.

Quo autem calidior tractus, desertisque vicinior, eo magis opera ferociorum avium et foedarum, carnivorarum certe, requiritur, ut pejori peste regionem liberent. Namque et crebrius erumpere locustae solent, aut vento fugandae, aut vincendae devorandaeque a Seleucidibus, ex Plinii loco notis (9): et muscarum agmina gravius, nec pro nostro more incommodant, gregibus hominibusque pernicioſa (10), quibus Myiagros, pro Deo cultus, hostis

(9) I. X. c. 27. *Selencides aves vocantur quarum adventum ab Iove precibus impetrant Cassi montis incolae, fruges eorum loculis vastantibus.* Nec unde veniant, quoce abeant, comportum: nunquam conspectis, nisi cum praesidio eorum iudicetur. Sintne esculentae, atque adeo Hebracis pueræ, ignoramus: ex quibus alterum usinam nos doceant, atque plura dent de volueri ex iolis adhuc antiquis scriptoribus nota, qui Aegyptum, reliquumque Orientem adeunt!

(10) Narrare solebat Jobus Ludolphus, Aethiopicarum rerum auctor probatus, ingentia muscarum examina Aethiopie nonnunquam ingruere, hominibus jumentisque metuenda: nec aliam dari salutem, quam si homines gregesque in orbem colligantur, illisque circumposita farmentorum corona accendatur, flammam enim sumunque muscas non superrare:

hostis a natura datus est. Sic enim accipimus Plinii verba, l. X, c. 28. *invocant Elei Myagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, quae procul intereunt, quam litaram est Deo isti*, non ut idolum sit ille Myagros, sed ut volucris, muscis vescens, quippe quae inter alias aves commemoratur, pro Diis habitas, quia contra pestes sunt auxilio. Accedunt cadavera, nocentiore in illis tractibus foetore, ac magis pestifero, quibus ipsis suae vulpes, thoes, hyaenae, sepulcrorum etiam fures (11), ac maxime sua vulturum falconumque genera. Sic Hasselquistus regiae Svecorum académiae falconem Aegyptium descripsit (12), solis vescentem cadaveribus, sine quo in tanta apud Turcos cadaverum negligentia, metropolim Aegypti, Cairum, salvam esse posse vix sperat, laudatque, qui pio, ut putant, stipendio erogato turpem alitem paseentes, faciunt, ne Cairum deferere cogatur. Quo de falcone, cum mentio inciderit, liceat obiter indicare, eundem esse, quem Moses in alitibus impuris nominat, *Racham* (רָחָם), quemque Bochartus sub vulturis montani nomine descripsit (13).

ex

rare: quae in agro relinquuntur jumenta consumi a muscis; ac sola ossa relinquuntur. Id vidisse Jesuitas, miratos primum, cum fugere eos Aethiopes iuberent, muscas venire addentes: fugisse tamen, et ex offibus animalium deinde agnoscisse, quam exsistunt pestem. Haec quidem non praestamus omnia, poterunt enim in majus augeri, nec pro certo dixerimus, de hac peste Plinium loqui: narrasse tamen Ludolphum certo teste compertum habemus, Christiano Benedicto Michaelis, Halensem theologo, patre praesidis.

(11) Pf. LXIII, II. Bocharti Hieroz. P. I. l. III. c. II. 12. 13. Russel's natural history of Aleppo p. 60. 61.

(12) Abhandlung der Königl. Schwedischen Academie der Wissenschaften Vol. XIII. p. 203. seqq. versionis Germanicae.

(13) Hieroz. P. II. l. II. c. 26. 27. quae integra legenda sunt, ne particula modo aliqua perlustrata discordes in avis colore Bochartus et Hasselquistus esse videantur. Nomen Arabicum Hasselquistus *Rokhoma* scriptis, Chet per Kh exprimens ex appellatione Svecica elementi CH, quod quidem nomen primo nobis indicio fuit, qua de volucri loqueretur. Sciant autem, qui Arabicæ linguae ex sola

gram-

ex quo Hasselquistiana, et ex Hasselquisto Bochartiana suppleri possunt. Iucundum certe est, quae ex veteribus Arabibus Graecisque Bochartus de vulture vel falcone montano narrabat, nunquam sibi viso, a teste confirmari, qui quamquam Bochartum non legerat, certe ejus hic non recordabatur, eadem tamen omnia non his mortuis doctoribus sed suis oculis credidit: in plura profecto inquisitus, de quibus Arabes memoriae prodiderunt, si hos historiae naturalis sui tractus auctores legere potuissent, quos ei consulere, ob defecutum cognitionis linguae Arabicae negatum.

Multo his omnibus celebriores ibes, ab Aegyptiis contra serpentum morsum invocatae, quibus ex Libya ad volantibus occurrabant, illisque tam avide pascebantur, ut nec morsu vivi nocerent, nec odore mortui. (14)

Haec quidem exempli loco sufficient. Rem ipsam scriptoribus historiae naturalis, dignam quae eorum cura ornetur et perficiatur, relinquimus: et vero hujus scientiae principi, illustri Linnaeo, qui ante aliquot annos in dissertatione, cui inscripsit, *Historia naturalis cui usui?* (15) et falconem montanum Aegyptium Hasselquisti

---

grammatica Europaeorumque institutione periti sunt, A Arabum in

(Racham) ab aliis Arabibus ut O appellari, fere ut Kamets Hebraicum et Chaldaicum a Judaeis Germaniae, et Syris. Si ab eruditis Orientis exploratoribus nomina ejusmodi literis Arabicis scriberentur, multum juvarent et historiam naturae et philologiam. Historia quidem naturae ita posset ex domestici illarum regionum scriptoribus valde locupletari, quaeque illi habent, aut confirmari oculis aut refelli. Sed requiritur ad hoc philologiae Orientalis et historiae naturalis coniunctio. Quae de etymo nominis Arabici habet Hasselquistus, ab aliis sine dubio accepta, cum ipse Arabice non sciverit, facile ei condonanda: veriora Bochartus dedit.

(14) Herodot. I II. 75. 76. Cicero de Nat. Deor. I. I. c. 36. Plinius I. X. c. 28. Adde omnino Hasselquistum in actis academiacis Svecicæ T. XIII. p. 209. 210. versionis Germanicae.

(15) Ipsam dissertationem non ad manus habemus, sed solis excerptis uti-

exemplum proposuit, et minorem Virginiae cornicem, quam imprudenti bello multis impensis deletam, jam valde desiderari incolis Virginiae, Kalmius retulit, et alibi docet, quam sit salutaris Palestinae, a muribus vexatae, muribus vescens aquila valeria, quae quotannis messis tempora ex Aegypto illuc adventat.

§. IV.

*Aegypti sapientia erat, animalium vitae ob utilitatem ex illis perceptam legibus etiam consulere.*

Ne autem ad eos referre fines Mosaicas leges dicamus, quos legislator ex Linnaei alicuius schola egressus spectasse videri possit, non tam antiquis, inque illa generis humani infantia, in qua si vel a Deo missus rem publicam informaverit, tamen erunt, qui suspicentur, non leges ei a Deo inspiratas esse sui temporis prudentiam modumque superantes, sed optimas ex his, quarum homini in mente venire poterat: ne inquam haec nobis objiciantur, non a nobis jam expendenda sed a theologis; illos ipsos lectoribus in memoriam revocemus Aegyptios, ex quorum schola egressus Moses, multa eorum praeclara et salutaria in legibus suis imitabatur. Hi enim cum carnivora animalia multa consecrarent, ut Deorum religione tutae essent, nullam tamen Cicerone teste, dicuntur beluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex illa perciperent, sacrosanctam jussisse: inque his maxime ibes illas, quae serpentibus vescuntur. Has enim, et feles, occidere, tantum Aegyptiis parricidium, aut parricidio majus nefas, ut vel imprudenter commissum, omnino morte luendum esset (16): meminerimus autem, in Thebaide copiam murium innumerabilem post solstitium exundante Nilo gigni, seu, quod potius reor, ex terra, in qua latuerant, existere solere, ut vel crediderint Aegyptii, ex limo, accidente humore et calore,

nasci

---

mur, quibus nos novissima eruditio Svecicae historia (neueste Geschichte der Gelehrsamkeit in Schweden, Th. I. S. 95.) ditavit. Veniam ergo speramus, si qua in re errasse deprehendamur.

(16) Diodorus Sic. l. I. c. 83. pag. 74. 75. al. 52.

nasci (17): Aegyptum praeterea desertis cingi, ex quibus mures, magnos terrarum tractus peragrare soliti, in cultiora irrumpunt. Novimus aliam a Diodoro rationem afferri, quod nempe contra aspidum morsus salutem afferant (18), sed eam expendendam medicis relinquimus. Verum de his animalibus, quae laedere nefas, abunde egit Herodotus I.II. c.65. et Diodorus Siculus I.I. c.83-90. pag. 74-79. al. 52-56. quorum narrationes aut in promtu habere, aut relegere, oportebit eum, qui ipse de nostra explicacione sententiam ferre volet.

In talium disciplina educatus Moses, non mirum est, si intellexit, non quibusdam modo avium generibus, sed omnibus ita saltem prospiciendum, ut nullum penitus natali solo intereat.

### §. V.

*Forte humanitatis significationem et imaginem in hac lege esse voluit, ut virtutis cognitione sanctior haberetur.*

**H**is certioribus liceat aliquid conjecturae addere. Fuerunt plerique, quibus lex Mosis symbolica, ut ajunt, et quodammodo hieroglyphica videretur, id vero est, sub involucre indulgentiae erga aves, praecepta mansverudinis et humanitatis tradere, Israëlitarumque animos ita formare, ut ab omni non crudelitate solum, sed et crudelitatis specie maxime abhorrent. Neque omnino adversari velimus: fatemur etiam, magis sic illud, *ut bene tibi sit, diuine vivas in terra*, lucere, si quae ob utilitatem nostram praescribit, Deus, humanitatis et misericordiae et aequitatis caussa praecipere videtur, immanitatisque, etiam erga aves, vindictam ipse suscipere. Nec negamus, Israëlitas, ita a pueritia institutos, ut avem una cum pullis perdere, numinis horrore, vererentur, consuetas illas Orientalibus in bello crudelitates, qui gravidas necabant, matremque, ut vel in proverbio ajunt, cum filiis caedebant, vix admittere potuisse, quin medias inter iras bellique stre-

pitus

(17) Diod. I. I. c. 7. pag. 8. al. 5.

(18) I. I. c. 87. pag. 78. al. 55.

pitus dirum quid occineret conscientia. Utilitatem hanc existimamus legis esse, non finem, ut misericordiam praecipiat: quippe quae in exemplo et nimis singulari proponeretur, et obscuro atque ambiguo, (durum enim, pullos servatae matri eripere, infelici vel ideo, quia superstes est) nec ita clare, ut a plebe sine interprete intelligi possit. Ac mirum, cui ex tanta exemplorum copia hoc potius, quam aliud aptius legerit Moses, ut, cur non vetuerit beluam cum cruciatu necari, si id unum sibi propositum habebat, animos formare suorum ad miserendum promtos. Teneamus ergo, avium eum saluti, ob utilitatem quae ab illis percipitur, consulere voluisse: quod ut fortius ficeret, sanctiorque lex populo haberetur, virtutis eam religione tanquam consecrasse, ut misericordiae imaginem exprimens sacrosancta etiam, nec sine ingenti immanitate migranda putaretur.

### §. VI.

*Similis fuit ars legum Aegyptiarum: sed doli nimium trahens.*

Fuit eadem Aegypti sapientia, sed plus in illa gente dolis trahens, ut religione sacrosanctae redderentur leges, ob utilitatem institutae. Qui animalia servari ob utilitatem volebant, sive Deorum illa imaginem mentiebantur, ideoque in eorum tutela, sive diversoria, in quae majorum animi immigrassent, sive latuisse in illis aliquando Deos, ideoque gratiam rependere, sive alia ex Diodoro discenda. Est praeterea Aegyptium, et inde Pythagoreum, duplicis generis praeceptum, physicum et morale, eadem sententia complecti, illo hoc adumbrante. Quod haec tenus Moses imitari potuit, ut ab omni mendacio et anili superstitione sibi populoque cavens, legem tamēn, quae levis, nec digna rigido obsequio existimari potuisset, ac nemine conscio in viis, in desertis, in silvis, in montium praeruptis migraretur, virtutis sanctioris significatione et cognitione venerabilem faceret: cuius sapientiae illustre exemplum in lege de agro, dupli semine non consumi-

nan-

nando, proponere possemus, nisi modum commentationi statuisse-  
mus, quem servari ipsa temporis angustia jubet. Nunc liceat  
minore uti: foedo etiam ac paulo turpiore: sed non dignatus  
est gravissimus legislator, suis consulens eo descendere.

### §. VII.

*Illustratur ex alia lege, castrorum sanitati et puritati ut  
confuleret, tota ea consecrante.*

Vetat Moses, castra Israelitarum excrementis humanis pollui;  
necessitatique naturae locum extra castra destinat: nostra et-  
iam severior militari disciplina vult, statim terra operiri, quae  
natura secreverat (19), addita ratione: *Jehova enim Deus tuus in  
castris tuis ambulat, ad opitulandum, dandosque tibi hostes. Sunto  
ergo castra tua sancta, ne quid turpe videat, et a te se se avertat.*  
Laedi Deum foetore, aut pelli, nemo philosophus suspicabitur:  
hominibus solis male fana fiunt inquinamentis et sordibus castra.  
Et est tamen aliquid decorum, quod a mortalibus ad Deum trans-  
fertur: ut in loco sancto alyum exonerare, aut mingere, turpe  
ac prope in Deum injurium sit. Qui ergo castra foetore et sordi-  
bus militum purgare volebat, idque sine gravi poena, disciplina-  
que abruptiore perficere, religionem in subsidium vocabat: con-  
secrabat castra, ac tota pro fano, vero et Latino vocabuli signifi-  
catu (20), esse jubebat, in quibus praesentissimus Deus, suis au-  
xilio futurus, habitaret. Qua arte sine mendacio et fraude, sine  
poenis gravioribus aut suppliciis, obtinebat, ut et hominibus ca-  
stra fana essent.

### §. VIII.

---

(19) Deut. XXIII, 13. 14. 15.

(20) Livius I. X, c. 37. *inque ea pugna aedem votam, ut Romulus ante  
voverat: sed fanum tantum, id est, locus templo effatus  
sacratum fuerat.*

*Color Aegyptius legum Mosis, &c. argumento est, Pentateuchum non ab Ezra confitum, sed Mosis esse.*

**A**b his artibus si nostrarum legum aut simplicitas veritasque, aut paratior ad poenas severitas, aut negligentia, aliena est, suntque illae tanquam proprius Aegyptiarum legum et nativus color: agnoscamus ex hoc colore in adytis Aegypti educatum Mosen, atque etiam hoc argumento confirmatum teneamus, quae Mosaica dicuntur, antiqua et vere a Mose esse, Aegypti alumno, non ab Ezra aliquo confita. Libere profitemur, hunc tanquam pellucere Aegyptium colorem, non solum in legibus, sed et sententiis, historiis, phrasib; Mosis, quin et in pseudophilosophorum placitis, quae unico saepe versu aliud agere visus convellit, ut vel hoc indicio convinci possint, qui illi Peutateuchum abjudicant. Sed haec persequi non hujus est *commentationis*.

## §. IX.

*Accessio de Selavis.*

**F**acta est supra (§. III. p. 7.) Seleucidum mentio: in qua si omnino de Rathleiana conjectura taceretur, praesidi opposita, minus ingenuum illud haberet silentium, atque suspicio oriri posset, praesidem, qui Summe Reverendo Rathlelio non respondit, intelligere quidein, nihil reponi posse, verum id dissimilare, et, quod honestissimum erat, candide fateri nolle, se errasse. Quapropter consultius visum est, brevicalam de hoc argumento accessionem a praeside huic dissertationi subjici.

Fuit qui illas pro Selavis Mosaicis (Exod. XVI, 12. 13. Num. XI, 31. 32. Ps. LXXXVIII, 26 - 29) haberet, S. R. RATHLEIUS, in appendice acridotheologiae, quam mihi opposuit, suspicanti pisces alites fuisse Selavis, quod a Rudbekio proditum quoddammodo exornaveram. Nominis indicio a Selavis ad Seleucides deuentum videtur, quod quidem unum in summa Graecae Hebraicaeque linguae diversitate exigui facio: si enim nomen vere Graecum est, non barbarum, nulla cognatione cum Mosisco σέλας conjunctum esse potest. Rudbekiana certe sententia adhuc probabilior videtur Rathleiana, seu potius Hardtiana, (Hermanno enim van der Hardt primo auctor deberi, ipse monet Rathleius) mirorque illi opponi potuisse, carnem Israelitas petuisse, carnem ergo dandam, non pisces: aut, Selavis in psalmo volucres alas dici. Quasi vero poetae, cuius est, verbis liberius uti, et omnia mirabilia fa-

facere, haec audacia non detur, ut pisces alis instructum et volantem, alatum aut alitem volucrime dicat: aut pisces carnem non habent, licet aliam quam quadrupeda. Forte non meminerat vir S. R. loci Paulini, 1 Cor. XV, 39. aut controversiae, non magnae, quae nonnullis nostratrum cum pontificis intercessit; ita enim severus exactor non sum, ut ab illo petam, quae ipsi minutiae forte videntur, quam late *carnis* nomen apud Orientales pateat, quamquam vel ex illo ipso capite, in quo de Selavis Moses agit, intelligi potuisset, quod **נְבָשׂ** carnem pisibus non minus quam ovibus bobusque tribuat: Num. XI, 21. 22. Possem alioqui citare, qui statim occurrit Corani locum, Sur. XVI,

14. *subjicit vobis mare, لَتَأْكُلُوا مِنْهُ كُلَّا طَرِيْقًا* ut comedatis ex eo *carnem*

*recentem.* Haec tamen utcumque se habeant, nondum adhuc de Selavis liquere arbitror, nec ipse, in mea causa si mihi judicis federe licet, sententiam dixerim, quamquam vento deferri, et ab eo duorum cubitorum altitudine in terram spargi, capique ibi a volentibus, avium esse non videatur, sed pisces potius, qui adverso vento volare minus possunt, nec exsiccatis alis uti. Ampliandum tamen censeo, et exquirendum, antequam sententia feratur, a testibus harum rerum, exploratoribus eruditis in Oriente missis: quae Seleucides? (quas quidem in Aegypto facile agnoscunt, si inquirant, quae aves pascendo sequantur locustas, alioque tempore non visae saleti sint Casii montis incolis) et sinte esculentiae? quomodo apparentur? sintne tanto numero, ut Iraelitis in mensem sufficiere potuerint? ventone resistere nequeant? capianturne facile, folisque manibus? et quae talia plura.

Quae pro mea sententia dici poterant, nondum exposui, nec S. R. Rathleffio his VII annis respondi: partim quod nolbam de re incerta, antequam novi quid ex Oriente ipso, maximeque ex mari rubro edocitus essem, disputare: partim quod S. R. Rathleffum haberem adversarium, quem et iraci fecus sentientibus, licet bene mecum in appendice acridotheologia agat, non tamen uno indicio ego noram, (nolo autem cum iracundo disputare) et letores, qualis in caeteris rebus sit, paucis exemplis propositis cognoscent, ipsis futuri judices, fuerintne mihi cum illo in arenam descendendum.

Negat pag. 322. pisces alites ab Euro vel Noto deferri ad castra Iraelitarum potuisse ex sinu Arabico: (de Serbonidis enim lacu prorsus non labore, per quem Iraelitas non transisse, liquido ostendi posse arbitror.) Quod si vel libuerit chartas Palaestinae vicinaeque Arabiae geographicas Hasianas inspicere, oculis statim intelligetur, Sinai monti, et circumiectae regioni, sinum maris rubri Aelaniticum ab Oriente, ipsum mare rubrum ab Austro esse, ita ut ventus ab Oriente et Austro spirans non possit non ab hoc mari hunc Arabiae trahum petere. Verum aduersarius, quem deprecor, exstimas videtur, Eurum et Notum non ad Occidentem et Septentrionem deferre, sed illuc, unde spirat, nempe ad Orientalem et australem plagam. Maguae hoc iracundiae et fe-

siina.

flinationis excusatione defenderem, nisi pleraque Rathleßiana similia essent. Hoc tamen ipsum, quia incredibile est aliquem ita errare, ne maligne festinationi viri insultans per risum et jocum dixisse videar, sed severo, utque dignum est bono et modesto adversario, addam eundem errorem repetitum ab eodem, et clarius etiam expressum. Persiae et Armeniae Seleucides maxima copia fuerunt: has ait terras in eo tractu sitas, ex quo ventus alites pertulerit ad Israelitas, (in Arabia castra habentes;) Euronotum enim spirasse: easdemque terras Israelitis ultra mare Arabicum, ejusque australi sinum fuisse. Non exigere a quoquam possum, ut id dictum viri, munere etiam ecclesiastico conspicui, et libros scribere de ejusmodi argumento audentis, meis oculis in quoque testimonio credat: verba ergo ipsa subjicio, p. 334: *Jene Selaven kommen aus Südosten zu den Israeliten. Aber in dieser Gegend lagen Persien, Armenien, und andere Asische Länder, wo die Seleuciden-Schwärme unber ziehen.* Et p. 335: *Jene Selaven kamen vom Meer, wenigstens das zweite mal.* Ohne Zweifel zeigen Moses ein Meer an, das die Israeliten damals am nächsten in Süden und Osten hatten. Da kan dieser Mann das tote Meer meinen: (hocne meridionale mons i Sina?) oder er kan den südlichen Arm des Arabischen Meerbusens verstehen. Aber hinter diesen Meeren lagen die angeführten Länder. Cum hocne viro me committerem, qui aut ita errare, aut ita lectores, tanti peccati nihil suspicantes, turbare possit? nec timerem, Lemniorum fortuna sapere doctius, Athenis Borea vento Lemnum navigantem. Idem rationem redditurus, cur Muhammedes, Salvas in Corano commemorans, a Judacis hoc nomen habere putandus sit, (quod quidem qui novit Muhammedem sine illo crebet argumento) non ex Graeca aut Latina versione: has, ait, versiones Hebraicum vocabulum non servasse, p. 339: quasi vero Muhammedes aut Graece aut Latine sciverit, aut quidquam suorum ex ipsis bibliis habeat, non biblicas historias universas sive a Judacis sive a communii rumore Orientem pervagato. Quod quidem indicio est, ex auctoribus S. R. Rathleßium disputare, quos nec legerat, nec quales essent fando acceperat. Sed tamen eos citare, versionesque corum evolvere, doctum! Verum adversario molestum, ipsum talia, quae seire debebat, edocere, et omnino cum tali congredi. Idem probaturus, quod Seleucides nomen haberint a γένε, non ab urbe Seleucia, nec a poculorum genere, cuius inventio ad Seleucum refertur, (quorum ego neutrum affirmaverim, sed et videanus, quomodo argumentetur) antiquiores, ait, has aves fuissit et Seleucia et Seleucus omnibus p. 334. Atqui omnia avium genera nominibus suis antiquiora sunt, nec nomen, cuius ultima nobis ex Plinio auctoritas, aequo antiquum dixerit, quam ipsa sunt Seleucides. Mitto alia similia plura: verbis etiam meis alias p. 320. datam sententiam, ut facilius refelli possent.

Non mirum jam videbitur, quod, qui ab omnibus abhorreo controversis, sententiasque, semel dictas, si oppugnentur, non defendere soleo, S. R. Rathleßio nihil huc usque reposuerim. Hic tamen, cum posito avis nomine, non

non potuerim S. R. Rathlesium silere, nisi videri vellem minus ingenue dissimilare quae contra me scriperat, ac forte debita illum laude et aisenus professione private: et significandum duxi, quid me hucusque a respondingendo retinuerit, et de re ipsa paucula quedam disputare. Per singula enim ire non vacat, nec opus est: ipsi letores judices de reliquis sint, mea defensione non audit.

Probabile ergo mihi videtur, Israelitas pro a mari Erythraeo castra habuisse: singulari autem Dei numine incredibilem piscium alium vim congregata, idque factum, quod contingere posse Moses antea desperaverat, Num. XI, 22: hos, cum ex mari emergerent, secundo vento abreptos, siccatisque, qua arida volare nequeunt, cuticula, (sive quod aliud nomen sit) in litore sparsos esse, ut alicubi duorum cubitorum altitudine sibi incumberent. Facile ergo captos ab Israelitis, siccatosque. (Vide Marcum Paulum Venetum p. 163. de Adenitis, et Diodorum Siculum I. III, p. 153. al. 107. de ichthyophagis, fenus Arabici accolis, referentem.) Nomen ortum videri a verbo **جَلَّ**, Arabice **جَلَّ** **جَلَّ**, quod contra naturam aliorum piscium ex mari attollantur. Arabicum autem nomen, **سَلَمَ**, in Corano obvium, et ex hoc in commentarios et vocabularia translatum, nullam aveum Muhammedi notam designasse, sed a Judacis, quibus sua debebat, ut ignotae avis nomen acceptum, unde et accidat, ut contra morem Arabum, pro **וְ** Hebraico **אַ** substituentium, per **אַ** scribatur, ut appellare Judei Hebraique solet, quod recentiores natales nominis in Arabia arguit. Quae autem de Salva habeant commentatores Muhammedani, fabulosa esse, ut alia eorum multa, et excoquita, ne quid nescire videcentur.

Hacc inquam verisimilia mihi sunt: non certa. Si enim, quod habet Herbelotus, ex quo illo bene excerpit Rathlelius, avis quedam Arabiae Felicis, Semana (**سَمَانِي**) alias dicta, Salva dicitur; si hoc nomen non ei a solis grammaticis commentatoribus per conjecturam accommodatur, sed tribuitur ab indigenis: illam aveum intelligendam suspicor. Soli hic possunt judices federe, qui Arabiam Felicem adibunt: a quibus peto, ut et de nomine avis nos edocent, et eam curatus describant, que intelligi possit, fueritne illa tot Israelitarum millium per integrum mensum pabulum, et, sicut Seleucis, locustarum exercitibus infesta.

Aliud est reliquias si conferatur grave dubium, quod mihi opposuit S. R. Rathlelius, de quo itidem soli, qui Orientem adeunt, judicare possunt: sed despero pene, nostro tempore illuc penetratum iri, unde petenda responso. In Oceano Indico pisces alites degere concedit, sed ignorari ait, alatne eas mare rubrum. Non me id certo scire, ipse profiteor: pauci enim omnino sunt ex nostris hominibus, qui mare rubrum adeunt, qui descripserunt, paucissimi.



In intimos autem sinus cur navigando penetrari nequeat, quamvis et Turci optarent et Galli, Mailetus prodidit. Quae si aut nosset Rathlelius aut cogitasset, non hoc mihi silentium scriptorum opposuisset. Mirum quidem, si frustum Babelmandeb, quo mare rubrum ab Oceano Indico distinetur, superare nando pisces alati non audeant, eoque a mari vicino, eidem soli subiecto, arcentur. Optem tamen, ut certiora ex ipso Oriente edoceamur, habeatne mare rubrum pisces alites, atque qua copia?

Causas etiam indicabo, cur mihi, donec uberior lux ex Oriente assulgeat, Selvae nec omnino aves videantur, nec vero seleucides, sed pisces potius alites.


Primo Seleucides sectantur locustas: quarum agmina si circa Israelitarum castra confessissent, non deerat caro Israelitis: esculentae enim sunt locustae, et vero Israelitis pure, Levit. XI, 22. Certe conqueri non potuissent Israelitae, nihil se esculenti videre praeter mannam, si locustarum nubes castra obumbrarent, viciniisque infessident campis.

Deinde in aves omnino non cadit, quod Moses narrat Num. XI, 31. 32. ventum eas a mari detulisse, et humi stravisse, sive adeo, non sustinente eas vento delapsas esse, et duorum circiter cubitorum altitudine alicubi circa castra jacuisse; Israelitas autem egressos eas collegisse, quod aves, volare scientes, non exspectabant. En verba Mosis: *ventus - - transfluit Selavas, a mari nunquam verti, ex mari, quod me gratis fecisse criminatur Rathleius p. 320.) et cadere sivit illas* (ΨΩ est omittre aliquid, ut sponte sua cadat) *bic, et itineris diurni longitudine illic circa castra,* (i.e. ut opinor, in litore, ab utroque castrorum latere, longitudine unius diei itineris,) *et circiter duo cubitos supra terram.* Et surrexit populus - -, et collegit Selavam. Si io, quid hic tentet Rathlelius: nempe duo cubitos supra terram volasse ait aves, atque sic facile captas ab Israelitis. Quod totum Rathleii S. R. est, non Moses. Omitti enim a vento, non est volare, nec colligere aves commode dicitur, qui inter volandum capit: denique si humiliter volant, (quamquam ne id quidem novimus, sed demus ipsis etiam sine argumentis,) non id ob ventum faciunt eas non sustinentem, sed quia humi stratis locutis imminent. Quam paucae enim, aut quae sunt aves, quae se, nisi ventus faveat, plusquam duo supra terram cubitos nequeant attollere.

Sed satis de re dictum incerta adhuc, in qua ne me quidem judice vici, sed attuli probabilitia: veri cupidum et doctum, nec irascitent expetens adversarium.







Fd 2087



86.

40





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



# LEX MOSAICA DEVT. XXII, 67.

EX HISTORIA NATVRALI ET MORIBVS AEGY-  
PTIORVM ILLVSTRATA.

P R A E S I D E

IOANNE DAVIDE MICHAELIS

PHILOSOPHIAE PROFESSORE ORDINARIO, SOCIE-  
TATIS REGIAE SCIENTIARVM GOETTINGENSIS COLLEGA,  
ET PHILOSOPHICI ORDINIS H. T. DECANO

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

DIE XVI SEPT. 1757.

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

PETRVS HAGSTRÖM

*ab.*  
MALMOGIA - SVECVS.

GOETTINGAE

LITTERIS POCKWITZII ET BARMEIERI.